

mandavit, quatenus illi, qui ejusmodi Ecclesias, vel præbendas, præter dicti archiepiscopi auctoritatem acceperunt, ad eas resignandas, monitione præmissa, per excommunicationis sententiam, et subtractionem aliorum beneficiorum compellantur.

513. *Sive id occupet auctoritate principis sæcularis, vel consanguineorum.* — Deinde idipsum est dicendum in eo casu, quo clerici non sola sua, sed principis sæcularis, vel consanguineorum suorum auctoritate, præter auctoritatem superioris conferre valentis, beneficium occupant, atque recipiunt. Nam etiam tales censentur intrusi: hoc ipso, quod obtinerint Beneficium a non habente potestatem illud conferendi, sicque non intraverint per ostium aperiente ostiario, sive Superiore legitimam conferendi potestatem habente; sed aliunde ascenderint, atque ingesti fuerint. Gomez, et alii, ubi supra. Abbas cap. II. n. 4. *de Restitut. in integr.* illico subjungens post Innocentium in c. *Qualiter. il. 2. de Accusation.* et archidiaconum can. *Alienationes. 12. q. 2.* quod gesta per intrusum non valeant, quantumcunque dicatur toleratus: quia in intruso non habet locum tolerantia, ex quo non habuit ingressum ab habente potestatem. Hæc Abbas.

516. *Qualis etiam subjacet pœnæ suspensionis, et excommunicationis, etc., fitque ineligibilis.* — Quinimo clerici illi, qui a laicis recipiunt beneficia ecclesiastica, subjacent pœnæ suspensionis, atque excommunicationis, ipsis infligendæ, can. *Si quis deinceps.* et can. *Quoniam. 16. q. 7.* et c. *Præterea quia. 4. de Jure patronat.* Et si perstiterint in retinendis beneficiis taliter acquisitis, etiam a ministerio ecclesiastico, et ordine sunt deponendi, can. *Si quis episcopus.* et seqq. 61. q. 7. et cit. c. *Præterea quia. de jure patronat.* Simulque consentiendo electioni de se factæ per abusum potestatis laicalis, puta, principis sæcularis, fiunt ineligibiles; adeo, ut absque dispensatione prævia ad aliquam nequeant eligi dignitatem, c. *Quisquis. 43. de Election.* atque rursus dicetur infra tit. VII. *De Institutionibus. § 2. n. 35.*

517. *Intrusus vel maxime censetur, qui beneficium vi occupat. Imo talis etiam dicitur Invasor.* — Tertio vel maxime dicitur intrusus, quisquis vi occupat beneficium. Quinimo talis non solum dicitur « Intrusus in beneficio, set etiam Invasor ipsius, » per textum expressum in c. *Eum qui. 18. de Præbend.* in 6. Ubi proinde, ad refrænanandam saltem pœnæ

formidine tantæ temeritatis audaciam § fin. statuitur, « ut violenti, qui auctoritate (vel potius temeritate) propria occupare dignitates, personatus, aut alia quæcunque ecclesiastica beneficia non verentur — eo ipso jus, si quod in dignitatibus, personatibus, et beneficiis occupatis taliter, vel ad ea ipsis forsitan (per nominationem. præsentationem, aut electionem de ipsorum persona factam) competebat, amittant. » Simile quid habetur can. *Ordinationes. 9. q. 1.* ibi: « Qui catholicorum Episcoporum Sedes invaserunt, » etc.

518. *Intrusi in beneficio generaliter censentur omnes illi, qui recipiunt beneficium absque ullo titulo vero, vel colorato. Puta, quia receperunt beneficium contra claram constitutionem concilii generalis.* — Quarto, et generaliter, intrusi in beneficio censentur omnes illi, qui recipiunt, atque occupant beneficium, non habentes ullum titulum verum, vel coloratum respectu illius. Gomez, Joan. de Selva, Rebuffus, Azorius, ubi supra, cum aliis. Et additur, « generaliter: » nam iste modus intrusionis est generalis, et continet sub se plures alios. Sic quippe præter illos, qui beneficia occupare præsumunt absque auctoritate valentis ea conferre, atque hoc ipso carent omni titulo (de quibus proxime dictum) in c. *Cum jam dudum. 18. § 1. h. t.* arguitur quis intrusionis, eo quod post præhabitas plures dignitates, contra Lateranensis concilii statuta, ad obtinendam quamdam præposituram se ingesserit. Licet enim intervenisset ibidem auctoritas superioris, hæc tamen male intervenerat, sicque defuerat omnis titulus verus, atque coloratus; cum talis ingestio in præposituram, clare repugnaverit constitutioni concilii generalis, contra quod inferior Papa dispensare non potuit.

519. *Vel a superiore publice excommunicato, suspensio, aut schismatico. Aut contra tenorem concordatorum Germanicæ.* — Similiter intrusus dicitur, qui a superiore publice excommunicato, suspensio ab officio, aut alias potestate conferendi notorie privato beneficium adeptus est, illudque recepit; juxta textum in cap. ult. *de Excessib. prælat.* Gomez cit. quæst. 47. vers. *Quarto.* Rebuffus, ubi supra, n. 12. et alii. Idem dicendum de illis, quibus beneficia collata sunt per schismaticos, cap. I. *de Schismaticis.* Fagnanus c. *Nisi cum pridem.* n. 27. et seqq. *de Renuntiat.* Item pro mere intrusis habendi sunt, qui contra tenorem formam concordatorum

Germanicæ, receperunt beneficium: carent enim omni titulo, et colore tituli; ut expresse declaravit Clemens VII. in sua 41. constitutione, « Admones nos, » quæ refertur tom. I. *Bullar. Roman.*

520. *Item, qui scienter recipiunt beneficium alteri injuste ablatum.* — Pari quoque ratione intrusus censetur, qui scienter recepit beneficium, quod alteri fuit injuste ablatum: tunc enim in conferente defuit potestas. Gomez, Rebuffus, n. 11. Joan. de Selva, Azorius, ubi supra, et alii, istud probantes ex cit. cap. ult. *de Excessib. prælat.* juxta alium intellectum. Quod si vero ignoranter id accidisset, nesciendo videlicet injustitiam factæ per superiore privationis, tunc quidem recipiens ejusmodi beneficium, alteri injuste ablatum, excusaretur a vitio intrusionis, ratione ignorantie, bonæque fidei suæ: nihilominus cognita rei veritate, atque injustitia privationis, teneretur illud dimittere, ut restitui possit priori legitimo possessori.

521. *Et qui beneficium retinent, postquam ab isto canonice amoti sunt per privationis, vel depositionis sententiam, a qua non appellarunt.* — Dicitur etiam ille intrusus, qui beneficium adhuc retinet, postquam ab isto canonice amotus fuit, per privationis, vel depositionis sententiam, a qua non appellavit, sicque sententia illa transit in rem judicatam: secus, si appellasset. Innocentius in c. *Qualiter. il. 2. n. 10. de Accusation.*; Abbas c. *Cum jam dudum. n. 4. de Præbend.*; card. Tuschus lit. I. concl. 542. n. 2; Gomez, alique superius allegati. Quia, ut inquit Fagnanus loc. cit. n. 45. post Petrum Brixiensem in Repertor. *ŷ. Intrusus.* paria sunt, intrudere se in beneficium; et retinere beneficium, quo aliquis canonice est privatus.

522. *Dantur nonnulli casus, in quibus quis potest dici large intrusus.* — Tandem dantur nonnulli casus, in quibus potest quis large dici *Intrusus*, seu *quasi intrusus*. Sic large sumpto vocabulo potest dici intrusus, qui licet auctoritate legitimi superioris fuerit positus in beneficio, habet tamen vitium, propter quod eodem deberet privari: prout in c. *Veniens. 15. § 1. de Accusation.* de quodam episcopo legitur, quod « cum esset filius sacerdotis, in ecclesiam fuerat Prag. intrusus. »

523. *Qui commisit crimen dignum depositione, an censeatur intrusus?* — Ulterius, si quis commisit crimen dignum depositione, potest dici *large intrusus*. Glossa in c. *Cum*

*super. 4. ŷ. Restituendum. de Causa possess. et propriet.* asserens, quod talis quasi intrusus est; Joan. de Selva, ubi supra, n. 11; Rebuffus. 14; Azorius. Qui tamen posteriores de hoc dubitant, neque istum intrusionis modum admittunt, nisi quis admisisset crimen, propter quod fuisset ipso jure privatus, veluti hæresin, simoniam, etc. Alioquin (inquiunt) habet quis titulum, donec beneficio privetur.

524. *Intrusus dicitur, qui post electionem sed ante confirmationem (extra casus a jure permissos) beneficium administrare præsumpsit.* — Huc accedit, atque intrusus dicitur, qui post electionem, sed ante confirmationem (extra casus a Jure permissos) beneficium administrare præsumpsit, arg. c. *Cum jam dudum. 18. h. t.* et notat Abbas, ibid., n. 3. et 4; Passerinus, *de Electione*, cap. xxxiii, n. 16; Rebuffus, cit. Gloss. 4, n. 7; Joan. de Selva, d. quæst. 11, n. 11, et alii. Talis enim ipso jure privatus est beneficio sic administrato, c. *Avaritiæ. 5. de Election.* in 6. estque amplius declaratum supra lib. I. tit. VI. *de Election.* § 2. n. 36. et seqq.

525. *Et multo magis, qui sine electione canonica ingerit se beneficio.* — Et multo magis dicitur intrusus, qui sine electione canonica, puta, celebrata a minori parte capituli, ingerit se beneficio, card. Tuschus, lit. I. concl. 342. n. 6. post Joan. de Imola, consil. 132, n. 7. Aut, qui non obtenta confirmatione a superiore, ex sola electione capit possessionem beneficii, ad quod fuit electus card. Tuschus cit. concl. 242. n. 5. post Imolam d. n. 7. Tacentur nonnulli alii intrusionis modi, apud auctores hactenus citatos reperiendi, qui tamen commode ad unum præmissorum reduci possunt: nunc quantum attinet alteram partem propositæ quæstionis.

526. *Quoad effectum regulæ 36. et 29. cancellariæ, solummodo veniunt veri, et proprie intrusi.* — Resp. III. Quoad effectum regulæ 36. cancellariæ, *de Triennali* inscriptæ, solummodo veniunt veri, et proprie intrusi: id est, qui vel nullum habent titulum verum, aut coloratum respectu beneficii occupati; vel istum non habent ab eo, qui potestatem conferendi habuit. Ita Gomez cit. reg. *de Triennali.* vers. *Et ista omnia*, allegans stylum curiæ, et observationes Rotæ; atque inde rejiciens contrariam sententiam quorundam, veluti minus intelligentium præfatum stylum Curie. Accedit ratio, quia constitutio dictæ regulæ est pœnalis; ergo hoc ipso non inclu-

duntur in ea omnes species intrusionis, de quibus auctores mentionem fecerunt: sed solummodo veri, et proprie intrusi, c. *Odia restringi*. 15. de *Reg. jur.* in 6. cum similibus. Et hæc ratio etiam urget quoad effectum regulæ 29. Cancellariæ, *De subrogandis colligantibus* inscriptæ.

527. *Intrusio in beneficio, inter cæteros effectus, constituit clericum scienter intrusum malæ fidei possessorem; adeoque iste tenetur cedere, fructusque illius restituere.* — Resp. IV. Intrusio in beneficiis inter alios effectus etiam hunc habet, quod clericum scienter intrusum constituat malæ fidei possessorem: adeoque iste teneatur omnino cedere, vel potius recedere a beneficio, ejusque possessionem facti relinquere; fructusque beneficii, utpote male perceptos restituere. Ita Glossa in c. *Nisi cum pridem*. 7. *Sed duntaxat. de Renuntiatis*. inter alias dicens: « Satis posset hic dici, quod intrusus omnino debet cedere, quia nec quantum ad opinionem, nec quantum ad veritatem, titulum habet. » Id ipsum tradit Abbas in cit. c. *Nisi cum pridem*. n. 6. et Baldus, n. 1. Fagnanus, ibid., n. 27, 28, 40. et seqq. citans alios: cum hoc tamen discrimine, ut, si intrusio sit notoria, debeat, ac possit quis cedere absque alia superioris licentia; si vero non sit notoria, requiratur ad hoc auctoritas superioris. Concordat card. Tuschus, lit. I, concl. 3, 42, n. 46, et in re communi.

528. *Et hujus ratio.* — Ratio conclusionis clara est, quia intrusi in beneficiis nullum habent titulum, virtute cujus possent retinere beneficium, quod occuparunt, fructusque ipsius lucrari. Quinimo non intrantes per ostium (hoc est, per canonicam institutionem, auctoritate legitimi superioris factam) sed aliunde ascendentes, fures sunt, et latrones, Joan. x, 1, et can. *Ordinationes*. 1. q. 1. Atque invasores, can. *Ordinationes*. 9. q. 1. ibi: *Episcoporum sedes invaserunt.* » Atqui ideo, quanto plus rem, sive beneficium per intrusionem occupatum detinent, tanto plus peccant, cap. ult. de *Consuetud.* Simulque fur semper est in mora restituendi, l. *In re furtiva*. § penult. ff. de *Condition. furt.* Neque remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, juxta reg. 4. jur. in 6. et can. *Si res aliena*. 14. q. 6. Unde consequens est, intrusum in beneficio teneri ad cedendum, vel potius recedendum ab eo, atque ad restituendos fructus, utpote male perceptos, Verum de restitutione talium fructuum plura

superius lib. II. tit. XIII. § 5. n. 117. et seqq. et n. 124.

529. *Alius intrusionis effectus est, quod in impetratione rescripti ad beneficia debeat fieri mentio de præcedenti intrusione.* — Resp. V. Alius intrusionis effectus est, quod in impetratione rescripti ad beneficia debeat fieri mentio de præcedenti intrusione, atque illicita ejus possessione: alioquin rescriptum desuper obtentum non valet. Ita Glossa c. *Eum qui*. 7. *Obtinebat*. vers. *Et eadem ratione*. h. t. in 6. Abbas in c. *Cum jam dudum*. n. 3. h. t. ubi ex textu illius capituli, « quod intrudens se in beneficium, forte auctoritate principis sæcularis, et postea impetrans illud a Papa, non facta mentione de intrusione, est repellendus; talis enim promotio fuit subreptitia: nam si Papa scivisset, de facili sibi non providisset propter ambitionis vitium: et quia ingressus se administrationi ante omnem provisionem, » etc. Id ipsum, atque ob eandem rationem, tradit Joan. de Selva cit. tract. de *Beneficio*, part. III. quæst. 11. n. 7. cum aliis. Ratio est, quia impetrans Rescriptum debet facere mentionem de illis, quæ Papam possent retrahere ab eo concedendo, c. *Postulasti*. 27. de *Rescript.* Atqui interea est intrusio in beneficio, utpote ratione suæ temeritatis, et vitiosi in istud ingressus, omnibus juribus exosa; uti patet ex juribus hactenus allegatis, et in posterum allegandis.

530. *Istud tamen a nonnullis limitatur.* — Fatendum tamen, quod Felinus, in c. *Postulasti*. circa fin. de *Rescript.* post Petrum de Ancharano, in Clement. *Si Romanus*. n. 3. h. t. Et cardinal. ibid. datam conclusionem non concedat absolute: sed tunc solum, quando propter inventum laicæ potestatis intrusio contingit, sicque intrusus efficitur ineligibilis, et inhabilis ad beneficium, juxta c. *Quisquis*. 43. de *Election.* Alioquin autem, ista qualitate cessante, Felinus ibid. vers. *Primus est*, distinguendos ait duos casus. Primus est, quando intrusus in uno beneficio, impetrat rescriptum super alio beneficio obtinendo, sola facta mentione præhabiti beneficii, non autem intrusionis in ejus assecutione commissæ. Et tunc (inquit) videtur valere impetratio; cum talis impetrans non sit ineligibilis, eo quod non intruserit ipsum laicus; simulque per expressionem præhabiti beneficii satisfactum fuerit rigori juris. Alter casus est, quando taliter intrusus, licet sine inventu laicorum, impetrat. Rescriptum ad obtinendum illud ipsum beneficium, quod

prius illicite, atque per intrusionem occupavit: Et tunc (ait) requiritur mentio de intrusione prius commissa; nam tale beneficium Papa difficilius concederet, si novisset intrusionem, rationem disparitatis assignat: quia Papa in hoc posteriori casu, seu concedendo illud ipsum beneficium, censeretur reformare integrum titulum, ita ut intrusus non posset amplius per episcopum inquiri, atque molestari super fructibus beneficii antea male perceptis: quod tamen Papa non solet facere absque speciali mentione. Secus fieret in priori casu, seu quando Papa concederet novum beneficium: quia tunc non reformaretur prior vitiosus titulus, sive præcedens intrusio; sed conferretur novus titulus, absque eo, ut Episcopus impediretur inquirere super fructibus antea propter intrusionis vitium male perceptis.

531. *Ulterior illius effectus est, quod confirmatio Sedis apostolicæ in forma communi, non purget vitium intrusionis in receptione beneficii commissum: secus dicendum de confirmatione in forma speciali.* — Resp. VI. Ulterius intrusionis effectus est, quod confirmatio a Sede apostolica obtenta in forma communi, non purget vitium intrusionis in receptione beneficii commissum. Ita textus expressus in c. *Quia diversitatem*. 5. § *Mandamus de Concession. Præbend.* ubi omnes illi, qui tempore suspensionis archiepiscopi Eboracensis, præter ejus auctoritatem se intruserant in ecclesias ad ipsius archiepiscopi collationem pertinentes per excommunicationis sententiam, et subtractionem aliorum beneficiorum, jubentur ab eisdem amoveri: « non obstante confirmatione a Sede apostolica obtenta sub forma communi, quæ confirmat beneficia et præbendas, sicut juste, et pacifice possidentur; » Jus novum autem in eis non tribuit. Secus, si talis confirmatio, apostolica data fuisset in forma speciali, seu sub clausula, « Ex certa scientia; vel suppletes omnes juris, et facti defectus, » etc. prout ex professo dictum est lib. II. tit. XXX. de *Confirmatione utili*. n. 4. 5. 7. et seqq.

532. *An valeat rescriptum tacita intrusione obtentum ad beneficium sub clausula, motu proprio?* — Et si petas, an valeat rescriptum tacita intrusione obtentum ad beneficium sub clausula, *Motu proprio?* Resp. In resolutione hujus quæstionis doctores variæ; prout notat. Joan. de Selva cit. quæst. 11. n. 7. circa fin. Et quod valeat tale rescriptum, tene Calderinus, consil. 11. de *Præbend.*, et consil

13. de *Rescript.* eo quod motus proprius purget vitium subreptionis in rescriptis, c. *Si motu proprio*. 23. de *Præbend.* in 6. Oppositum tenet Milis in *Repertorio*. 7. *Gratia*. § 14. idque ob defectum intentionis ex parte Papæ gratiam concedentis. Quia, ut patet ex dictis supra, lib. I. tit. III. de *Rescriptis*. § 8. n. 202. et 206. ac seqq. clausula illa, *Motu proprio* supplet quidem vitium subreptionis ex taciturnitate veri necessario exprimendi proveniens, cit. c. *Si Motu proprio*: non tamen firmat gratiam, quando est defectus voluntatis ex parte principis gratiam concedentis; puta, quia fuit impetrata cum expressione causæ falsæ, vel tacita inhabilitate personæ, pro qua scribitur. Talis enim inhabilitas personæ videtur provenire ex vitio intrusionis, c. *Quisquis*. 43. de *Election.* ubi intrusus, seu electioni per abusum potestatis laicæ consentiens, efficitur ineligibilis ad dignitatem. Et hæc posterior sententia videtur retinenda loquendo de intrusione, quæ fit mediante potestate laica: eo quod tunc intrusus reddatur ineligibilis, atque inhabilis ad beneficium, nisi dispensetur, juxta cit. c. *Quisquis. de Election.* Prior vero sententia Calderini procedit, quando fit intrusio sine interventu laicorum: quia tunc nulla reperitur contracta inhabilitas personæ; nisi forsitan intrusus ob contumaciam in dimittendo beneficio, per intrusionem occupato commissam, excommunicatus fuerit, juxta c. *Ex frequentibus*. 3. de *Institut.*

533. *Alia regulas cancellariæ concernentia.* — *Remissive.* — Plura dicere de regulis cancellariæ, ad præsens propositum non attinet: nam præter ea, quæ hactenus tradita fuerunt, alia scitu magis necessaria in propriis locis explicantur; prout de *Regula de viginti* inscripta, ordine 19. ex professo dictum est supra, l. I. tit. de *Renuntiatione*. § 3. n. 68. 69. et seqq. Cætera vero poterunt videri in commentariis Ludovici Gomes, (vulgo, Gomezii) in *Judiciales regulas Cancellariæ*; et in commentariis Joannis a Chokier, ecclesiæ cathedralis Leodiensis canonici, in *Regulas Cancellariæ apostolicæ*; nec non in commendatione Hieronymi Gonzalez ad *Regulam VIII. Cancellariæ*, aliisque auctoribus ex professo in regulas cancellariæ scribentibus. (ADNOTATIO LVI.)